



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

3. Boca Vetvs Carolo Memorabilis Hospite.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

eligant. Finito verò Advocatia sua termino, iterum, si necesse sit, non de progenie priorum, sed alium, ut caveatur ne aliquis in Advocatia hereditario jure succedere possit. Ministeriales mei qui modo sunt, Ministeriales monasterij, in quacunque parochia moriantur, sepulturam in pradieto meo Monasterio eligant, & habeant, & optimum equum, quem quis habeat, & arma ibidem offerat. Jura vero in accipiendis vel dandis hereditatibus, secundum jura Ministerialium ubi se tradiderint habeant. Actum Anno M. CIV. tertio nonas Julij.

Anno 1371. Bernardus de Horde Eques arcem *Boc am*, Henrici Episcopi, & successorum ejus *feudum ligium* semper fore professus, exstruxit; filius Bernardus *facellum* ibidem condidit, quod ejus nepos Philippus Westphaliæ & Angariæ Marescallus, & conjuge defuncta Præpositus Monaster. insigni sacra suppellectile, & sacrarum reliquiarum atque indulgentiarum thesauro locupletavit. Arcem quidem, stirpe Bernardi conditoris extincta, sæculo proximè præterito à Theodoro Furstenbergio Paderborn. Episcopo recuperatam, An. 1646. Sueci unà cum *facello* incendere; verùm eandem Theodorus Adolphus Episcopus Paderbornensis instauravit munivitque. Hic igitur locus si Reinero Reineccio, in Poëtam Anonymum notas componenti, in mentem venisset, minimè is dubitasset, utrùm, *Boke*, sit Monasterium à S. Menolfo ædificatum, an *Bukenborg* arx ditionis Schawenburgicæ: hæc enim cis Visurgim in Ostfalis sita, illud verò *Bodeke* semper appellatum fuit.

3. BOCA VETVS CAROLO MEMORABILIS HOSPITE. Astronomus. *Inde reversus cum in pagum qui Buchi vocatur pervenisset. Poëta Anonym.*

In pagum redijs quem dicunt nomine Bukki.

L

Non

Non postrema loci alicujus gloria censetur, Cæsarem Regemque hospitio excepisse, quam multa hac sola de causa monumenta posita?

4. PAGVS. Antiqua regionum agrorumque in pagos divisio. De Numa Pompilio Dio. & Plutarchus tradiderunt. *Divisit totam regionem in partes, quas pagos nominavit.* Eodem modo *Helvetia.* Cæsar. lib. 1. *Suevia.* Idem lib. 4. *Germania omnis* Cluver. præcipuè verò *Saxonis* in pagos distributa erat. Meibom. in comment. de pagis Saxon. Præter *Bocensem* complures in historia Francica, Imperatorum Regumque Saxoniorum diplomatis, & antiquarum donationum literis pagi nominantur, plerique toti, nonnulli ex parte Ecclesiæ Paderbornensi donati. Nimirum *Aga, Almenga sive Almunga, Auga, Engere, Hessi, Hemmerfeldun, Hertega, Hutagoë, Lagni, Lisna, Morunga, Nichterga, Paterga, Rittega, Sorehtfeld, Treveresga, Treini, Thietmelli, Tilichi, Ventzga, VVessiga, VVetiga, VWestphalon.* Significabatur itaque hoc nomine non vicus, sed major minorve amplioris regionis tractus, non paucos vicos villasque complectens; sæpe magnæ provinciæ partem Saxones Germanique *gavv, borde* vocabant. Desijt hæc appellatio paulatim circa annum 1100; cum pagi in Ducatus, Principatus, diversi generis Comitatus migrarunt, ac hereditario jure possideri cœperunt. In his pagis Duces, Principes, Satrapæ, Comites jus dicebant. Cæsar. l. 6. Comm. *In pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt, controversiasque minuunt.* Tacit. de morib. German. *Eliguntur principes, qui jura per pagos vicosque reddunt.* Poëta Anonym.

*Sed varijs divisa modis plebs omnis habebat,
Quot pagos tot penè Duces.*

Rolevinc.